Honoratiſsime Domine Collega!

Perlectis ac perſpectis Adnexi /. tenoribus — cuncta Tibi Magiſter Scientiæ in„ noteſcunt. —

Omni fervore juvenili (: qua Aſsistens Cathedræ:) cultam Scientiam amabilem intervallo 26 annorum — multifariis officiis publicis onustus — pene deserere coactus — ante biennium denuo fovere poſſe (: licet suppletoria tantummodo ratione:) destinatus — omnem adhibui operam: ut Institu„ tum hoc nostrum desertum ac desolatum faciem horti denuo induat.

Majestas Sua cæsareo-regia, Serenissimi Principes Archi„ duces Stephanus ac Josephus, Principes Lichtenstein et Schwartzen„ berg, Comes Harrach ac hortus botanicus Viennensis — benevolo nutu Collegæ Fenzl — sua contribuebant nobis e serie Exoticarum. Plantarum autem sub dio colendarum dona nobis suppeditarunt horti in Adnexo memorati.

Arboreto-fruticetum, quod in plaga magna horti adusque penissime inculta, foveis ac quisquiliarum collibus repleta — præterito vere neo instaurare satagebam, hodierna die, undique collectis Spe„ cierum rariorum speciminibus — consummatum erit.

Deest nobis adhuc Pinicetum — exceptis aliquot vulgatissimarum specierum exemplaribus — quod attamen, jam proximo mense in plaga unius jugeri hungarici quoque me plene instaurare poſſe — omnis spero.

Unum est — quod non aliunde, verum solum ac unice Tua benevolentia
mihi suppeditari valet, nimirum: aliquot exemplaria Pinus pinea et
Olea europea. —
Dum impensius Te rogo: ut eadem mihi subministrare velis — con-
victione et firma illa fiducia fretus sum „me ea jam possidere"!
Capedines ligneae pro illorum implantatione jam paratae sunt. —
Si Tibi exemplaria juniora 4–5–6 pedum altitudinis desunt;
ea mihi erga aes paratum aliunde gratiose procurare velis! —
De quavis specie 4–6 frusta dictae altitudinis opto; ne autem „ni-
mis desiderata illa" occasione transportus damnum aliquod patian-
tur; radices — terra propria obvelatae sarcinis necessariis muniantur
et cistae lege artis hortulanorum ita imponantur, ut sarcinae illae
lateribus cistae clavis ita affigantur, ne summitates arbuscularum
per motum attritum patiantur. — Velis hortulano Tuo has prae-
cautionum normas strictius inculcare; nimium etenim dolerem:
si Tua benevolentia mihi oblata, aut aere procurata, de integri-
tate sua quid perderent.
Ut autem oblectamento conspectus „desideratissimorum" quo ocyus
frui valeam, simplicissimus modus is est: ut ego, expensas in
arbuscularum horum acquisitionem forsan faciendas una cum
transportus sumtibus occasione perceptionis — uti dicitur „ge-
gen Nachnahme" hic persolvam; qui modus speditoribus gratus.
Cum Notis cistae inscriptis „Eilgut — lebende Pflanzen" via
ferrea tergestino-budensi — me cuncta spatio trium dierum per-

cipere posse — constat.

Subministra mihi occasionem Magister honoratissime: ut nomen Tuum in orbe botanico celeberrimum — hac Tua in Scientiae apud nos emolumentum manifestata benevolentia — in Instituto nostro specialius quoq indareat et intuitu illorum, quae nobis amice suppeditasti — gratissime saepissimeq memorari valeat! —

In indicato modo — sperare quid mihi liceat: amicum et collegiale hisce impensius exoratum et quo ocyus expectatum me doceat responsum!

Sit Tibi Salus — illud e corde precatur

Tui

Pestini Die 18ma Martii 1865.

ignotus ac peregrinus aestimator

Dr Lingbauer Jcl